Vir Illustris, Magnifice ac Summe Reverende,

Patrone ac Pater in Christo Venerabilis,

Magnifice. Tu quem Grimmae olim audire, et votis comitari
Witebergam licuit, venerabile mihi semper nomen et
exoptatum extitit. Ut vero vel publice vel privatim
specimen hujus animi exponerem, occasio facultasque defuit.
Nunc ubi Numinis providentia sequi ac intueri vestigia
Tua tantaque jubet, prorumpere eo impatientius gestit mens
mea, quo, etsi impari multum gressu, cupidior tamen asse-
qui flagitat imitando et extollendo merita, quibus in
Ecclesiae nostrae face praesenti inclaruisti. Quod olim nobis
alumnis optabas ex animo, ut Elisae spiritu ab Elia im-
petrato Scholae instrueremur, nunquam e memoria potuit
elabi: ut vero id voti genus nostra imo publici emolumenti
causa ad Deum immortalem iterum iterumque repetas, Vir
summe, pro eo quo Witebergam complecteris amore, rogatum
et exoratum Te cupio. Tuis votis, precibusque, consiliis etiam
sapientissimis stabimus, qui inter tot odia animum in-
trepidum tueri depositum fidei incorruptum de Throno prae-
sidii certissimi. Servet vero pro ineffabili sua benignitate
Numen sanctissimum et universam ecclesiam, et Te, Vir
Magnifice, decus illius et tot annorum exoptatissimum orna-
mentum, ut per aliquot lustra adhuc Tui Pastorum inte-
gerrimi, et votorum fructus ad nos quoque redeant, &
vestri, quales ad nos veniunt, diversis omnibus doctrinae
Ecclesiae partibus consulti, nobis: nostri vero ad vos de statu
Ecclesiae Academiaeque utriusque felicia quaevis semper re-
ferre queant. Haec summa votorum est commendantis Tuae
se benevolentiae ac benedictioni Paternae, qui praeterea
perseveraturus est

Magnifice T. Summe Rever.
Dignit.

cultor venerabundus &
precibus

Martinus Chladenius D.

Dabam Witebergae d. 16. April.
MDCCX.

Schediasmata benignis ut velis dignari oculis
qua par est veneratione, expeto,

Qui ad vos redeunt Dnus Marci et Dnus Behrens
desiderium hic sui ob insignem [illegible]
reliquerunt

Viro Illustri, Magnifico ac Summe Re-
verendo, Domino Joanni Friderico
Mayero, SS. Theologiae Doctori et Pro-
fessori in Academia Gryphiswald. cele-
berrimo, Comiti Pal. Caes. Consistorii Regii
Suecici Praesidi ac Consiliario Ecclesiastico
per Germanicas provincias Primario, Aca-
demiae Procancellario perpetuo et Ecclesia-
rum Superintendenti Generali,
Domino Patrono et Patri in Christo
aetatem venerando Gryphiswaldam.

Per manum amici,

30 v